



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Quod in ecclesiasticis personis & negotiis rigor nimius non debet exerceri, si propter hoc iustitia non periclitatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

Pars III.

DE DOLO ET CONTVMACIA
ET CALVMNIA ALTERIVS
partium punienda.

CAP. I.

Idem Herefordensi episcopo.

AD hæc cum contingat actorem multoties mittendum esse in possessionem causa rei seruandæ propter absentiam alterius partis, & per eius dolum siue potentiam actor non possit rem custodiendam nancisci: & imminente fine anni, reus, ne possessionem amittat, debitam offerat cautionem, cuiusmodi pœna sit mulctandus, quia *responsioni non paret iudicis, a nobis tua fraternitas postulauit. Ad quod dicimus, quod in ecclesiasticis personis & negotiis rigor & districtio iuris non requiritur nec exercetur. Sed cum propter hoc iustitia non periclitatur, admitti debet & patienter tolerari, cum reus per cautionem standi iudicio se astringit.

CAP. II. *Idem.*

Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expensas, & alio multiplici remedio, imperialis sanctio compescit. Quoniam igitur sacris institutis consonare dignoscitur, præcipimus vt de cetero in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnetur, nisi forte, sicut cautum est, pro absente sententia feratur.

CAP. III.

Causam quæ inter dilectos filios nostros de * Giseleburn & canonicos de * super ecclesia de * Leuentri & capella de * Chorun, & iure decimarum super quadam transactione, quæ exinde post appellationem facta fuisse dicitur, diutius est agitata, ad suggestionem cuiusdam canonici de * Chorun, experientia vestra sub certa forma commisimus terminandam. Verum quidam canonicorum de * Giselebuc, ad nostram postmodum præsentiam accedentes, dilectorum filiorum nostrorum cardinalium tunc sedis apostolicæ literas pertulerunt, in quibus conti-